




ILLUSTRISSIMO
SUPREMI SENATUS PRINCIPI
LUDOVICO LE PELETIER
COLLEGIUM DORMANO-BELLOVACUM,

H. J. r. 52.
(8)

Quod in ejus tutelâ est,
GRATULATUR.

ODE.



EMPE exerebant jam tumidum caput
Frausque & scelesti Rixa Doli soror,
Mœstam ut per Urbem fama sparsit
Grande sacri columen Senatûs

HARLÆUM honorem ponere purpuræ, &
Duris redemptum mille laboribus
Spectare secessum, ac peracto
Emeritam stadio quietem.

2

Dormana luxit pressa metu Domus ;
Luxêre & Artes , Mater & Artium :
Tremente vix dextrâ caducam
Sustinuit Themis ægra lancem :

Dixitque casu percita lugubri ;
Nam cur Achillem præripis invida
Ætas , avaræ fraudis hostem
Indomitum , patriosque firmum

Ritus tueri pectore aheneo ;
Promptum efficaci præsidio reos
Levare mœstos , & vel ipso
Crimina terrificare nutu ?

At nunc querelis pone modum tuis ,
Astræa ; votis pone , Academia ;
Jubente scandit LUDOVICO
PELTERIUS viduum Tribunal.

Olli capacis vis quoque consilii
Matura , prudens rerum animus , fides
Experta jamdudum , arduique
Ingenium patiens laboris.

Non ille canos , non sapientiam
Rugis verendam tristibus attulit
Ad munus augustum : sed ævo
Mens viget in viridi senilis.

Custode legum PELTERIO , improbam ,
 Ut antè , vindex pœna licentiam
 Frænabit : haud flectent severas
 Gratia divitiæque lances.

Alto sedebit dum folio arbiter ,
 Majus Tonantis judicium tremet ;
 Quo fonte derivatur omnis
 In populos hominum potestas.

Ingens parentis quondam Academiae
 Alumnus , at nunc & decus & parens ,
 Præsente certabit jacentes
 Auxilio recreare Musas.

Immenso in amplam fœnore scilicet
 Crêvere frugem grandia quæ puer
 Virtutis excepit futuræ
 Semina ; nec timidi fefellit

Mendace fundo spes avidas Patris.
 Faustam ille prolis sedulus indolem
 Fingebat : ut gaudet tenellos
 Regia avis trepidante pennâ

Fovere pullos ; mox tenues docet
 Tentare nifus : nec mora , tramite
 Miratur infueto propinquos
 Sideribus penetrare nimbos.

Et nunc beato tutus in otio
 Charusque Regi , fulget honoribus
 Intaminatis , dùm superbos
 Spernere amat titulos honorum.

Latere quanquam gestiat , hunc comes
 Quocumque plebis prosequitur favor ,
 Cùm magna tractaret , probatum
 In miseros animi paterni.

Et tu , citato laudis iter gradu
 Calcans , amabis tu quoque , PELTERI ,
 Placere dum Regi laboras ,
 Plebis amor patriæque dici.

Te Jura longùm Gallica vindice ;
 Te nostra longùm Patre Academia ;
 Longùm Camœnæ te potenti
 Bellovacæ vigeant Patrono.



CAROLUS COFFIN,
 Humanitatis Professor in Dormano-Bellovaco.